



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM SINITUR ARCHIEPISCOPUS
CARACENSIS IMAGINEM BEATAE MARIAE**

VIRGINIS «DE LA SOLEDAD», QUAE IN URBE CARACIS COLITUR, CORONARE Ad perpetuam
rei memoriam. – Quandoquidem beata Maria Virgo est Christi Mater castissima, e qua per Filium salus nostra manavit; et
exemplar et imago ipsa virtutum, in quam imitandam filii respicimus; Mater denique omnium nostrum atque tutela ac
tegimen in tanto discrimine vitae, idcirco quidquid eo tendit, ut illius gloria gliscat, augeatur, amplificetur, id ilico animum
Nostrum semper occupat, et, quoad fieri possit, nos agendum curamus: persuasum enim habemus semper cum Matris
honore etiam Filii gloriam coniungi. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Noster Iosephus Alí S. E. E. Cardinalis Lebrúm
Moratinos, Archiepiscopus Caracensis, iam ab hac apostolica Sede petierit, ut Imago Beatae Mariae Virginis «Nuestra
Señora de la Soledad», a populo cognominata, quae in templo S. Francisci Assisiensis in Urbe Caracis summa religione
colitur, pretioso diademate redimire posset, Nos merito rati posse tale beneficium pietatem erga Deum eiusque Parentem
augeri in fidelium pectoribus, in eius Praesulis sententiam benigne discessimus. Qua re, ea quae Congregatio pro Cultu
Divino hac de re gessit, factis olim a Nobis facultatibus, confirmantes, aequo animo concedimus ut idem Venerabilis
Frater Noster, vel Vir ab eo delegatus, possit nomine et auctoritate Nostra Imaginem de qua locuti sumus, scilicet B.M.V.
«de la Soledad» coronare, stata nempe caerimonia, eaque sollempnissima, inter Sacrum, quo die ipse velit cum populi
commodo. Quod sane sive dilectissimo Caracensi Antistiti sive sacro eius gregi felix, faustum fortunatumque sit.
Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno
MDCCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* ©

Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana